

# GRATULATIONUM ARMILLA,

*Quam*  
**V I R O**  
**GENERO SO, PER MAGNIFICO,**  
*Et Perquam STRENUO,*

**DOMINO,**  
**DN. FRIDERICO**  
**GOTTLIEB**  
**ENGELCKE,**

REIPUBLICÆ GEDANENSIS  
 PRÆ - CONSULI DIGNIS-  
 SIMO, &c. &c.

*Cum*  
**PRÆSES SPLENDIDISSIMUS**  
*A. MDCCVIII. XIII. Calend. April.*

solenniter crearetur,

inter

catenatos labores

devotâ mente manuque

offert

**JOHANNES ERNESTUS SCHRÖDERUS,**  
 R. S. C.

---

*GEDANI,*  
 Typis JOHANNIS ZACHARIÆ STOLLII,



Er conata manus, ter destitit, ausaque quartò,  
**INCLYTE VIR**, laudes continuare tuas.  
Accrescunt Tituli, dum culmen crescit Honorum,  
Succrescuntque simul gloria, fama, decus.  
Complevit metam duodenis mensibus omnem  
Cynthius, in spatiū dum redit ipse suum.  
Terminus hic renovat pulchrūm felicis Honoris  
Augmentū, quod tunc gaudia multa dedit.  
Quippe crebaris **Præ-Consul** dignior, omnes  
Exsuperans aurā fortis, honore pares.  
Applausit natalis humus pia fascibus istis,  
Et leni plausūs Vistula rore dabat.  
Tecta exultabant, fundebant plurima vota,  
Quæ rata concuperent, pectora lēta tibi.  
Vix quisquam fuit, haud illo lētatus Honore,  
Et non suspiciens Te meritumque tuum.  
Atque ego cum reliquis sensi quoque, marmore dignas  
Virtutes merito qui statuere tuas.  
Flammato voluit testari pectore gratans  
Officium pietas officiosa novum.  
**Concinuit** laudes, virtus quas magna meretur,  
At non pro merito, quod mea vena dolet.  
Agnovit vires mens fracta labore minores,  
Et tantis minimè laudibus esse pares.  
Nec famam volui venari talibus ausis,  
Contentus, si ardens conspiceretur amor.  
Nec spes vana hederæ mentem lactavit amicam,  
Quæ forsitan plures fallere sāpē solet.  
**Conatum** venerans animavit pura voluntas,  
Quæ sine suspectā fraude placere cupit.  
Hanc testandi iterum datur ansa, valentior ullā,  
Quam non vult cunctans non resonare Chelys.  
**PRÆSES** enim Patriæ clarissimus ipse crearis,  
Munere quo nullum dignius ora videt.

Hic

Hic est ille dies, quo summos splendida Fasces  
Curia committit, VIR GENEROSE, Tibi.  
Hæc est lux, prudens quâ munerat ordo Senatus  
Virtutes, tantum quæ meruere decus.  
Hoc est jucundum tempus, quo laurea cingit  
Digna caput, meritum condecoratque tuum.  
Salve lux optata, dies quæsite, cupitum  
Tempus, quo videor vivere posse mihi.  
Has cape magnanimâ venerandas mente secures,  
Ac indefessâ surge tenere manu.  
Sed quid jam capias Fasces, quos antè lubenti  
Cepisti dextrâ, dum moderante carent?  
Cûi debebatur sublimis gloria magni  
PRÆSIDIS, hunc rapuit mors malesanâ solo.  
Adjunxitque VIRUM, cui maxima cura Scholarum  
Tradita vix, nequiit qui revelare Scholas.  
Hos colui semper devoto pectore, quorum  
Conspicua æternis nomina digna Cedris.  
Hi meriti sunt, ut complerent Nestoris annos,  
Vel nunquam possent, sorte volente, mori.  
O fera Parcarum molimina, funera moesta!  
O cladem Patriæ prodigiumque meæ!  
Ne bona nunc repetam tantorum rara Virorum,  
Excellit præ aliis integritatis amor.  
Amissas inter res hanc numerare licebit,  
Quam tristi luget pectore quisque bonus.  
Verùm, totius renovatis plausibus urbis,  
Conamur luctûs dememiniſſe gravis.  
Hos longæva VIROS laurus post fata coronat,  
Et memoris famæ grande perennat opus.  
Nos revocant Fasces, qui dextram fortiter ornant,  
Nos animant Fasces, qui Tibi læta vovent.  
Hos tua solenni jam ritu dextra capesit,  
Ut Proceres cupiunt, justus ut ordo jubet.

Hos

Hos cape, quos pauci cāpiunt, pluresque mereri

Possunt, ut Virtus sorsque benigna favet.

Hos cape, sufficiunt qui maxima vota replere,

Munia qui cupidis nobiliora negant.

Hos cape, qui fines rectè hīc dicuntur Honorum,

Qui reduces meritum condecorare valent.

Hi dextram Fasces ornentque armentque sacratam,

Defendantve bonos, corripiantve malos.

Accumules laudem, quæ, cūm istos antè teneres,

Creverat, & radiis fulserat ampla suis,

Augeat ille dies feliciter urbis amorem,

Quæ de Te spondet prospera qnæque sibi.

Sit felix hic summus Honos, hoc culmen Honoris,

Quo Te jam virtus inclyta forsque beant!

Hic sit lætus Honos, omniq[ue] ex parte beatus,

Nomina magnificet qui Titulosque tuos!

Hæc exoptatâ nova prosperitate perennet

Laurea, cui noceat nulla procella minis!

PRÆSIDE Te Pietas sincera vetusque triumphet,

Exanguis meritum sibilet Hydra malum.

PRÆSIDE Te perstet Themidis decus atque Minervæ,

Legitimo maneant omnia jura loco.

PRÆSIDE TE Musæ plaudant, exultet Apollo,

Parnassi vernans rideat amplius apex.

PRÆSIDE TE pravi paveant, justique quiescant,

Nec quisquam timeat damna nefanda bonis.

PRÆSIDE TE virtus teneat tutissima sceptrum,

Integritas vincens magna trophæa ferat.

PRÆSIDE TE prælarga Ceres flavescat in arvis,

Omnigeno cœlum roret ubiq[ue] bono.

PRÆSIDE TE redeant tandem aurea secula, felix

Pax urbem recreet, pectora, regna, solum.

( o )

404

143543